



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 8. Animarum cura. 117. arguitur neglectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

*Abbasit caput ejus quercui.* 2. Reg. 18. 9. Cur arrepto pugione, crines non abscondit? & à suspensio se eximit? nè crines perderet, secare timuit! Alvarez in Jos. illustr. illustr. 92.

*Quis ascendet in montem Domini? - qui non accepit in vano animam suam.* Pl. 23. 3. 5. In vanum aliquid accipitur, quando non dirigitur ad destinatum sibi finem. In vanum emisti vestem, si nunquam eam induas. Creavit Deus memoriam, ut ejus recordereris; intellectum, ut eum cognosceres; voluntatem, ut eum amares. Did. Stella de contempl. van. Mundi c. 95.

*Statera dolosa.* Prov. 11. 1. Hugo per stateram accipit iudicium rationis; quod rectum, & sincerum est, cum in eà vera falsis, honesta turpibus, sancta profanis præponderant. Statera nem est animus hominis, in quo balances sunt ratio, & sensus; voluntas, & concupiscentia. Ità S. Basil. in illud: atende tibi ipsi, Corn. à Lap. hic.

*Magnificat anima mea.* Luc. 1. 46. Toleus: recte inquit B. Virgo anima mea: quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat domina. &c. Corn. à Lap. in Luc. 1.

### Ex Patribus.

Omnia magis quærimus, quàm animæ utilitatem. Et domum quidem, ut consistat, sæpè quærimus; & non ferremus videre illam vetustate, vel tempestate subversam, vel collapsam. De anima autem nulla est cura; sed, licet fundamenta ejus videamus putrefieri, & structuram ipsam, & ædificium; nullam tamen ejus rei habemus rationem. - Et apud nos sunt multæ leges de bestiis curandis; de anima autem nullus est sermo. Quot sunt, qui curant canes, nè plus, quàm par est, impleantur, & ità ut efferi, præ fame, esurie, venentur; seipfos autem non curant: & ità docent non deliciar, ut & bestia philosophiam discant; seipfos autem permittunt in ferinam sævitiam degenerare. S. Chrysof. in Act. Apost. hom. 34.

Innumeros dies deslent homines, familiarum obitus, pecuniarum damon; quod autem animam singulis diebus amittamus, nè cogitamus quidem. Id. hom. 8. in ep. 1. Cor. 2.

Væ nobis! quia princeps animæ pars carni, quæ ancilla est, servit; & pars deterior imperat præstantiori. B. Hais Abb. or. 29.

Quam excusationem apud Dominum habere poterimus, qui plus amamus vestem nostram, quàm animam nostram. S. Cælius Ep. Arelat. hom. 8.

Error dolore dignus est, ullum omninò inveniri, aut esse posse, qui de cursu infelicis vitæ istius brevi spatio in ipsa extremitate jam pendens, iturus illic ad tribunal Dei, quidquam aliud cogitet, præter finem suum; quidquam aliud, præter exitum suum; quidquam aliud, præter periculum suum; & neglectâ spe suâ, atque animâ, cui opitulari aliquatenus vel in ultimis suis omni nisu, omni re, ac substantiâ suâ, debeat; hoc solum cogitet, hoc solum animò suo volvat; quàm lautè hæres suos res suas comedat. Miserrime omni-

um, quid sollicitus es? quid æstuas? - Ecce iturus es infelicissime omnium ad Examen Sacrum, ad tremendum illud, intolerandumque, Judicium; ubi peregrinanti animæ, atque anxie, nullum potest omninò esse solatium, nisi sola tantummodò bona conscientia, nisi sola tantummodò innocens vita, aut quod proximum est, bonæ vitæ misericordia. Infelicissime omnium, cogitas, quàm benè alii post te vivant; non cogitas, quàm malè ipse moriaris. - Interim hoc specialiter dico, & peculiari admonitione commoneo; nè ullum omninò aliquis, quamvis charissimum pignus animæ præferat. - Facilius est hic deesse filiis quippiam, quàm parentibus in futuro; & multo levior est præsens tenuitas, quàm æterna paupertas. Salvianus l. 3. ad Ecclesiam Catholicam.

Cùm parvas quaslibet res nobis injustè sublatas districtè dijudicet Deus; credendum est, quòd hominem sibi met subtrahi, pretiosam felicitæ substantiam, æquanimitè ferret? B. Petrus Damiani l. 5. ep. 16.

Quantum putas detrimentum incurris, si animæ immortalitatem nescis, vel omninò non credis? si enim de animæ immortalitate non constet; quis, quæso, ad futuram retributionem properat? quis, obsecro, vitam suam restringat, nè post concupiscentias suas eat? quis se ad fortia operà accingat, tam acerbam patientiam habeat; si de futura vita penitus diffidat? &c. Richardus à S. Victore l. 3. de Arca myst. c. 15.

Vendens animam, pro qua Christus nobis datus est, pro brevi aliqua delectatione, reputat Christum stultum fuisse mercatorem; cum pro tam vilis det animam, pro qua Christus suum dedit sanguinem. Did. Stella p. 1. c. 62.

### §. VIII.

#### Animarum cura.

Quod majus lucrum potest esse, aut quid pretiosius, quàm si humanam animam quis lucratur. S. Hieronymus in ep. ad Titum cap. 1.

Si Dominus noster proprium suum sanguinem effundere pro illa ove non declinavit; quæ veniâ dignus fuerit, qui sic honoratè à Domino despiciere voluerit, & non omnia, quæ potest, in curanda ovicula adimpleverit? S. Chrysof. in Gen. hom. 57.

Nescio, si potest homo aliquid in hac vita à Deo majus accipere; ignoro, an possit hac gratiâ interim majorem Deus alicui homini conferre; quàm ut ejus ministeriò perversi homines in melius mutentur; ut de filiis diaboli, filii Dei efficiantur. An fortè cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare? Ergone majus erit, suscitare carnem iterum morituram, quàm animam æternum victuram? ergone majus erit, carnem revocare ad gaudia Mundi, quàm animæ restituere gaudia cæli? ergone majus erit, restituere carni bona transeuntia iterum peritura, quàm animæ reddere bona æterna in æternum mansura? O qualis dos! quanta dignitas! talem gratiam à Deo accipere! Non debuit Dei sponsa a sponsio suo dorè aliam accipere; non decuit cœlestem sponsam sponsæ suæ dotem aliam donare; quàm ut, per adoptio-

adoptionis gratiam, possit multos Deo filios gignere, & de filiis iræ filiiſque gehennæ, regni cœlestis hæredes ascribere. Richard. à S. Vict. lib. de Bejam. minor. c. 44.

Curam animarum nè appetieris: nam cum ad eam metam nondum perveneris, ut cunctis animi tui passionibus imperes; & tibi ipsi, & illis, qui te sequerentur, noceres. S. Ephrem. de vit. spir. ad novit. monach. c. 35.

Perfectorum est virorum, animas suscipere. Id. parænesi 15.

Nulla majora lucra, quam animarum. Pretiosior est ista negotiatio, quam auri, & argenti, primi, & purissimi. Et si nihil aliud homines permoveret ad animarum lucra, satis esset memorabile, pro eis effusi sanguinis pretium. Sim. de Cassia l. 9. c. 44.

Filios lucis, imò te patrem hujusmodi filiorum, quantum apponere decet curam, quot labores, quot vigilias? ubi de rebus æternis agitur, ubi verè, & unice expavescendum pro animabus tractatur damnationis periculum. Jo. Gerson ferm. coram Papa Benedicto.

### *Animæ arguitur neglectus.*

Longè graviori, & periculosiore debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix! quò me vertam? si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire. Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret; quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens ipsa utique sapientia sanguinem illum dedit. S. Bernard. l. 3. de Adv. Dom.

Cadit asina, & est, qui sublevet eam; perit anima, & nemo, qui reputet. Id. de Consid. ad Eug. lib. 4. c. 6.

Charior iis (malis Clericis) interdum equus, aut canis est; & curatur studiosius, quam illæ animæ, pro quibus Christus mortuus est. Isid. Clarius l. 2. or. 27. de malis Clericis.

Da mihi animas, hoc dicit diabolus Prælato. Heu multi Prælati hodie pactum fecerunt cum diabolo: diabolus habet animas, ipsi habent cætera omnia. Hugo Card. in Gen. c. 14. 21.

Quid aliud hodie quæritur ab Episcopis, nisi argentum, & aurum? de animarum verò salutè ultima cura est. S. Thomas Villan. ferm. 2. in ascens. Dom.

Num. IX.

*Anima vel una tibi chara sit.*

*Motiva*

*Deus, & Christus.*

*Ex Veteri.*

*Scalam stantem.* Gen. 28. 12. Dico cum Theodoretò, & Pererio, hanc scalam esse symbolum providentiæ, & gubernationis divini:

unde Deus illi innititur, quasi prima causa, & primum movens omnium. Angeli ascendunt, & descendunt, quasi ministri, & executores providentiæ divini. Hæc scala è cœlo ad terram pertingit, quia Deus inferiora per superiora, homines per angelos, gubernat. Duo scilicet latera sunt suavitas, & fortitudo; varii modi providentiæ sunt gradus. Sic Homerus Providentiæ describit per catenam auream, à Jove è cœlo demissam in terram, quâ Jupiter omnia comprehendit, confringit, & ad se trahit. Nota: Deum suos, præsertim virtute insignes, tantâ curâ per se, & angelos, curare, ac si iis totus incumberet, nec quidquam aliud curaret in toto Mundo, juxta illud Cant. 2. 16. *alectus meus mihi, & ego illi.* Corn. à Lap. hic.

*Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Ex. 3. 6. Cur singulorum Deus esse dicitur, ac si non simul omnium Deus existeret? S. Aug. t. 3. confess. c. 11. ò tu bone, omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum, velut solum cures; & sic omnes, tanquam singulos curares, & diligeres. Escob. t. 2. perfec. Christi sect. 2. Comment. liter. in Joan. observ. 7. Cur hic ad singulos repetitur nomen *Dei*? Resp. ut ostendat Deus, quantum singulorum habet curam; quòd unum curet, sicut omnes, & quòd singulorum sit totus. Corn. à Lap. in Ex. 3. 6.

*Fortitudo, & laus mea, Dominus &c. & factus est mihi in salutem.* Ex. 15. 2. Quid dicit Moyses? nonne omni populo Israel factus est Dominus in salutem? Intellige mysterium: in Deo gratia omni populo communis, in servo autem gratus animus; ac si beneficium ei soli fuisset collatum. Carthuf. hic: hoc ad servum Deo specialiter gratum, devotum, fidelèque pertinet; ut de generalibus beneficiis Creatoris speciales laudes, & gratias referat Domino, quasi sint sibi soli condonata ab illo. Sylv. in Joan. 3. q. 47.

*Tollite summam universæ congregationis filiorum Israël.* Num. 1. 2. 3. Oleaster: non est, Domine, impletus annus, quòd eos numerari præcepisti; & jam iterum eos supputari vis? quid est, quòd eos tam crebrò numeras? Certè Deus diligens Hebræorum animas, omnium expetit salutem, nè vel unica ovicula erronea à numero recedat. Pergit Oleaster: nam quemadmodum, qui pecuniarum siti agitur, & eas diligit, continuè eas supputat; ita & Deus eos, quos diligit, supputare non desinit. Escob. t. 3. colloq. Chr. l. 3. Obs. 2.

*Ego Dominus Deus tuus.* Deut. 5. 6. Oleaster expendit tuum, dum ait: sunt aliqui reges, & domini, qui sunt sui; alii, qui sunt consanguineorum suorum, & amicorum. Quid, quæso, habet Deus, quòd non sit tuum? Habet cœlum; tuum est, cujus influentiis vivis: si terram; eam dedit filius hominum: si stellas; eas creavit in ministerium cunctis gentibus. Leonard. Lessi. de perfect. div. tit. liberalitas.

*Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit cum in medio fratrum.* 1. Reg. 16. 13. Ungitur David in medio fratrum suorum, teste S. Greg. quia